Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36551
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

inuenerunt. i. spiritalem intelligentiam perdunt. uisionem a domino. quia non habuerunt sapientiam dei, perierunt propter suam stultitiam. s. sapientiam quia terrena sapiebant. Ioth. Sederunt in terra conticuerunt senes filie syon. consperserunt cinere capita sua uirgines hierusalem. Pascasius hystoria. Sederunt in terra et cetera. Patet hystoria. quia more suo iudei. tantis tribulationibus oppressi. miserabili habitu plangebant. non tamen sine causa illi precipue plorant et plangunt. in quibus et religionis auctoritas. et integritatis honestas predicatur.

Sederunt in terra et cetera. Senes in ecclesia merito tacent. quando in terra sedent. nec iam iuste senes dicuntur. nec chorus senatorum dei. cum plangentibus paciatur. et pro humilibus humiliet. Si autem tales essent in nobis. non plangerent sed plangent. Propheta uero luget eos. quos greci uocant presbyteros. nullo etatis opere decoratos. Qui fatui in terra sedent. dum terrenis inherent. quibus dicitur: Semen chanaan et non iuda. et inueterate dierum malorum et cetera. Virgines iuda et hierusalem. idem significant. quia renatarum animarum celestis hierusalem filie sunt. Hec sunt filie iuda. i. confessionis. et filie syon. i. diuine contemplationis. quibus dicitur: Adiuro uos filie hierusalem. si non inueneritis dilectum meum. et cetera. Sed hee capita cinere non aspergunt. nec cilicio se induunt. que opposite et ornate festinant ad sponsi amplexum. Sed sunt filie syon solo nomine et sacramentis. que ceciderunt in heresim de throno regni. aut per lapse sunt in puluerem terrene actionis. quibus est oppilatum est os. nec ad dominum audent leuare oculos. quarum capita. i. mentes puluereis operibus aspergunt. et sacco cilicino uestiuntur peccatorum contexto setis. et caprarum pilis. et quia capita semel in terram deiecerunt. nolunt se erigere. nolunt de puluere excutere. De his forsitan illa est. que alias adiurat. nec per se accedere ad sponsum usurpat. Sed

Allegoria